



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 24. Gallorum expeditio in Alsatia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

Sæc. XVII.  
A. C. 1636.

§. XXIV.

*Gallorum expeditio in Alsatia.*

*Barre hist.*  
*d'Allemagne*  
*Calmet Hist.*  
*Univerf.*  
*l. 151. §. 153.*  
*Ferrer. cont.*  
*Hist. Hisp.*  
*tom. 12.*

Denuntiato utrinque bello, cum Joannes de Werth Bavari exercitus Dux Gallos uno anno plusquam octonis vicibus fudisset, Ludovicus Cardinalis Valeta, Vir armis magis, quam Ecclesiasticis rebus idoneus, unacum Bernardo Vinariensi Duce cum valido exercitu in Alsatiam movit, & Tabernas arte pressit. Præerat huic urbi Mulheimius Cæsareus Ductor, animi magnitudine, rei que militaris scientia longe præstantissimus. Hic quaternis Gallorum impressionibus strenue repressis, Vinariensem ad solvendam obidionem compulisset, nisi Gallassus Comes tempestive suppetias ferre a Polonis fuisset prohibitus; cum enim hi mota seditione sine Ducum suorum mandato Rhenum trajecissent, eorumque Præfecti, alias imperare soliti, tum intentatæ mortis metu militum iussa exequi cogerentur, Galassus haud ultra tempestive laboranti urbi succurrere valuit: unde die vigesima nona Junii Mulheimius re ad extrema deducta, deditionem honestis conditionibus peractus est, civibus incendium, urbisque deprædationem triginta octo floren-

rum millibus redimere coactis. Post-  
modum Valeta collecto recenti milite

Caesareos ab Hagenoæ & Drusenheimii  
obfidiōne depulit. Minus vero prospere  
Condæo Principi successit in Burgun-  
diæ Comitatu Dolanæ urbis obsidio;  
quamvis enim assidua tormentorum ex-  
plosione ædes in rudera, & mœnia in  
faxorum congeries convertisset, nihilo-  
minus invictam obsessorum fortitudi-  
nem frangere haud poterat; horum e-  
nim animos non modo Bisuntinus Epi-  
scopus suis hortationibus, sed præci-  
pue Lombrius & Carolus Lotharingiæ  
Dux, qui cum valido exercitu accur-  
rerant, ad tantam vincendi ac vindic-  
candi aviditatem accenderunt, ut Lo-  
tharingii & Burgundiones deficiente  
pulvere pyrio, glandibusque plumbeis  
Gallos saxis propellerent, eosque desi-  
deratis suorum aliquot millibus ad sol-  
vendam obsidionem cogerent: Hoste  
digresso obsessi non modo ingentem  
belli apparatus in Gallorum castris, sed  
& magnam cibariorum copiam, unde  
milites inedia pene enecti abunde re-  
fici poterant, occupabant.

Postea Galassus Lotharingiæ Duci  
iunctus unacum quadraginta equitum  
peditumque millibus in Burgundiam  
latius penetrabat, tot tamen itineris  
molestias perpeffus, ut magis cum  
luto.

Sæc. XVII.

A. C. 1636

luto, & undis, quam cum hoste luctari  
 coactus, plusquam septem suorum mil-  
 lia amitteret: tandem vero post mu-  
 tuas velitationes vario Marte commif-  
 sas Mirablæum exeunte Mense Octobri,  
 pervenit, hocque oppidum, cum dedi-  
 tionem negaret, incendio delevit, ar-  
 cem vero honestis conditionibus cepit:  
 promotis inde castris Laudonam urbem  
 ad Somnæ litus sitam cinxit, cum vero  
 obsessi validis suppetiis aucti identidem  
 erumperent, atque ex assiduis pluviis  
 flumen novis undarum accessionibus  
 adauctum non minus quatuor millium  
 passuum spatio exundaret, imo ipsa etiam  
 valla & aggeres, castra, bellicque tor-  
 menta tanquam in naufragio fluctua-  
 rent, nilque restare videretur, nisi ut  
 milites longa fatigatione, innumeris-  
 que molestiis confecti una omnes peri-  
 rent, hinc Galassus inedia, rerumque  
 omnium inopia pressus conclamatis va-  
 sis cum laceri exercitus sui reliquiis a  
 Burgundiæ finibus excessit, transmis-  
 soque Rheno in Germaniam reversus est,  
 gloriosior absdubio futurus, si ei cum  
 solis Gallis, non item cum fame & cæ-  
 lo conflictandum fuisset.

§. XXV.

*Cæsarei atque Hispani in Gallias cum  
 exercitu effusi.*

Interea